



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1650

§. 5. S. Gregorij Nazianzeni in remittendis iniurijs insignia duo exempla.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)

Vindictam mihi, & ego vindicabo, id est, patientiam mihi, & ego patientiam remunerabo. 5. Qui vindicat se, honorem vnici iudicis, id est Dei, abstulit. 6. Post vindictam sequitur penitentia, fuga, & reatus, vt pari modo plectamur. 7. Nihil impatientia susceptum, sine impetu transigi nouit: quidquid impetu actum est, aut offendit, aut corrumpit, aut preceptis abiit. 8. Si lenius defendaris, insanies: si uerbis, oneraberis. 9. Quid mihi cum vltione, cuius modum regere non possum, per impatientiam doloris? 10. Si impatientia incubabo, non dolebo: si non dolebo, vlcisci non desiderabo.

§. V.

S. Gregorij Nazianzeni in remittendis iniurijs insignia duo exempla.

Hoc autem Apostoli philtum, atque ista Tertulliani malagmata obtulit S. Gregorius Nazianzenus suis Catholicis Constantinopolitanis. Illi enim, quia ab Ariano, sub Valente Ariano Imp. multum vexati, immo pene oppressi fuere, eo postea Imperatore defuncto, sub Theodosio orthodoxo Imp. par pari reddere, eosque similibus molestijs affligere voluerunt. Tum Nazianzenus, vt hanc vltionis voluntatem auerteret, eos in hunc modum est allocu-

Gregoria
Presbyte
in vit. S.
Gregor.
Nazianz.

8 *Cap. I. Iniurias non manere inultas,*

tus: *Non hac, mi grex, à vobis pōscit Christus; neq; sic Euangelium nos docet. Hac mea sit ultio, ut qui nos affecerunt iniurijs, salutem consequantur. Prestate illis beneficia, qui vos odio persequuntur. Quod si animus vehementer exastuat, neque coerceri se ira patitur; quod ab hoc alterum est, prestate, ut hac Christo permittatis, ac futuro tribunali reseruetis. Mea enim est ultio, ego rependam aut Dominus.* Talibus dictis tumultuantem populum sedauit, atq; in suam sententiam pertraxit. Neque ipse remissius præstitit reipsa, quod suos verbo docuit. Quando enim in Concilio Constantinopolitano nonnullorū Episcoporum similtates & dissidia exorta fuerunt, eò quòd Gregorius, ipsis inconsultis, ab alijs Episcopus Nazianzenus esset consecratus, loco suo & gradu sponte cessit, his eisdem verbis compellans: *Suppliciter vos, per Trinitatem ipsam, oro, ut inter vos omnia rectè pacificeq; constituatis. Quod si ego dissensionis inter vos caussa sum, nequaquam lona vate venerabilior videri debeo. Abycite me in mare, ac turbariam tempestas hac inter vos sedabitur. Lubens equidem patiar, quidquid voluerit, quamquam innocens, vestra concordie caussa. Eycite me folio, ab vrbe pellite, tantum veritatem*

teno

et si nos non ulciscamur.

tem & pacem diligite. Valetate pastores sacri, meo-
rumq; laborum perpetuò recordamini. Hac ubi
dixit, abiit ad Theodosium Imp. talibus
verbis ab eo missionem petens: *Supplex oro,*
ut laboribus hisce liberer, esto finis invidia, pa-
cem colant Antistites, idq; tua opera. Hoc ego
munus à te flagito, hoc mihi postremum benefi-
cium largire. Theodosius tanti viri mode-
stiam patientiamque admiratus, vix tandem
consensit, ut Nectarium ei substitui pate-
retur. Sic docuit, sic fecit Nazianzenus,
quando iniurijs maximis fuit exagitatus. Ad
hoc illi contumeliæ seruiert, ut posset ig-
noscere, & bonum pro malo redhibere. Quo
opere nulla maior, & ad Christi amorem
propiùs accedens charitas potest excogitari.
Nam, ut Ruffinus refert, interrogavit quidam
frater Abbatem Pœmenem dicens: *Quid est,*
quòd Dominus in Evangelio dicit: Maiorem
hac charitatem nemo habet, quam ut quis ani-
nam suam pro amico suo ponat: quo modo hoc
fieri? Respondit senex: Si quis audit verbum ma-
lum a proximo suo, & cum possit ipse similia illi
respondere, tolerat tamen in corde suo, & vim
laboremq; sibi facit, ne forte respondeat illi ma-
lum, & contristet illum: iste animam suam po-
nit pro amico suo.

Ruffin. in
vitis PP.
l. 3. n. 204